RECTOR
ACADEMIÆ GISSENÆ
TOTUSQUE SENATUS ACADEMICUS.

OMNIBUS AC SINGULIS LITERARUM STUDIOSIS,

S. P. P.

VEteri conſuetudine Orationum vel Conſultationum argumenta, vel res in publico agenda, tabulis inſcriptis proponebantur, unde propoſitum dicendi *aut* faciendi *defluxit in ſermocinationis uſu. Exponebant in aſſerculis publicè affixis negotium prius, quàm fieret comitium, ut intelligerent omnes, ſuper quâ re conventus ageretur. Notatum id Ulpiano in Demoſthenem his verbis:* [illegible] *Conſueverat Alexander Severus, teſte Lampridio, itinerum dies proponere publicè, ita ut edictum penderet ante menſes duos, in quo ſcriptum eſſet* : Illa die, illâ horâ ab urbe ſum exiturus. *Pendent more Academico per annum vice binâ Programmata, quibus intimantur auditoribus opera futura Academica.* Ἀκαδημίηθεν ἥκειν, *id eſt*, ex Academiâ venire, *veteri proverbio dicebantur, qui doctrinâ & morum gravitate compoſitoq; cultu aliis ſeſe approbabant. Quæ magna erat laus Scholæ Platonicæ, ex qua tritum illud dictum promanavit. Studendum magis nobis, in Academia Chriſtiana verſantibus, ſive in docentium ſive in diſcentium ſimus numero, ut oſtendamus, unde venerimus, ubi ſimus, quæ ſtudia ſint noſtra, ut Deo ſint grata, & Reipublicæ ſalutaria. Quod igitur ſalutare ſit Academia noſtra, quæ promovendis ſtudiis occupata ſedulò eſt, ſignificamus præſenti hac tabella, quid futura æſtate bono cum Deo in publicis & privatis lectionibus propoſituri ſimus. Valete proſperè & feliciter. P. P. Gieſſæ ſub Sigillo Acad. Majore. M. DC. LVI. Die 30. Martij.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Petrus Haberkorn, S.Th.D. Profeſſor P. & Ordin. feliciter per [illegible] ibus Theologicis, ut Collegio Anti-Calviniano, aliisque elaboratis ad finem perductis, inſtante æſtate, 1. Lectiones Theologicas de Chriſto, ut Homine ad dextram Dei Patris ſedente & Omniſcienter, Omnipotenter, & Omnipræſenter regnante, contra Jeſuitas modernos habebit, 2. Collegium Anti-Jeſuiticum [illegible] loco, Becani Manuali ſumto aperiet, 3. Diſputationes publicas de vero Miniſterio Eccleſiæ Lutheranæ contra Jeſuitas, cum primis Forerum inſtituet, & 4. Collegium Concionatorium cum caſuum practicorum reſolutione ſemper additâ, continuabit.

Joh. Nicolaus Mislerus, S. Theol. D. ejuſdemq; ut & Hebr. Ling. Profeſſ. Ordinar. In Libris Symbolicis perget: Collegium inſtituet Anti Calvinianum vel aliud ex Dominorum Studioſorum placito; In Hebraicis habebit exercitia tum pro tyronibus, tum pro perfectioribus, ſi qui adfuerint, in eiſdem conferri deſiderantes operam.

David Chriſtiani, SS. Th. D. ejuſdemq; Prof. P. publicè examinabit *Motiva & cauſas, quibus multi fuere moti, ut Lutheranam Eccleſiam deſererent*; oſtendet, illos, è nobis egreſſos, iviſſe, quà itur, non quà eundem eſt. *Collegium Anti-Bellarminianum Diſputatorium* continuabit, reſiduas Diſputationes 16. inſtituet, atq; ita 10. Diſputationibus Bell. abſolvet. *Lectorium Theolog. Inſtitutionum* quoque continuabit, & abſoluto Bellarminiano *Anti-Wendelinum* vel ſi placuerit, *Anti-Leydenſe Diſputatorium* auſpicabitur.

IN FACULTATE JURIDICA.

Juſtus Sinold, dictus Schütz, U. J. D. Cancellarius & Profeſſor Primarius, quantum per negotia graviora licebit, in præcipuis Imperii Conſtitutionibus interpretandis perget.

GREGORIUS TÜLSNERUS, U. J. D. Conſiliarius Haſſo-Darmbſt. & Profeſſor Ordinarius, explicationem utiliorum Codicis Juſtinianei Legum continuabit; caſus quoq; inſigniores Facultati Juridicæ ad decidendum tranſmiſſos explicabit.

Jacobus Le-Bleu, U. J. D. & Pandectarum Profeſſor Ordinarius abſolutâ materiâ *acquir. vel amitt. poſſ.* publicè explicabit materiam de Re judicatâ, & in Collegiis Juridicis privatis Dnn. Studioſorum deſiderio ſe accommodabit.

Martinus Müller, U. J. D. ejuſdemq; Profeſſor Publicus Ordinarius, publicè leget in Inſtitutiones Juſtinianeas: privatim aperiet Collegia Explicatoria & Diſputatoria, ut hactenus conſuevit: aliaque ſeſe offert ad Exercitia publica, prout Dnn. Studioſis viſum fuerit.

IN FACULTATE MEDICA.

Johan. Daniel Horſtius, Phil. & Medicinæ D. Profeſſor & Archiater Haſſo-Darmſtatinus, dum per negotia quàm plurima, quibus Clementiſſimo Sereniſſimi Principis juſſu in aulâ detinetur in Academia publicè profiteri nequit, operam ſuam nihilominùs per conſilia Medica Collegio Medico & Studioſis Medicinæ requiſitus præſtò pollicetur.

Johannes Tackius, Phil. & Medicinæ D. & Medicinæ Practicæ Prof. Publicus & Ordinarius, Archiater Haſſo Darmſtatinus, publicis Lectionibus Medicis perget tradere morbos inferioris ventris, inprimis hydropem & icterum, horumq; curationem, nec non privatim ubi occaſionem nactus fuerit in Chymicis operam ſuam locabit, Collegium quoque privatum ad petitum Studioſorum aperiet.

Georg. Balthaſar Metzger, Med. D. & Prof. Ordinarius, rationem temporis habiturus, hoc ſemeſtri, officinalium vulgarium ſimul & exoticarum plantarum hiſtoriam enarrabit; quem in finem crebras in vicinos non tantùm montes, ſed hortos etiam, ſi occaſio ſeret, nobiliores, excurſiones inſtituet. Privatà etiam operam omnibus promtiſſimam offert.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. Caſpar Ebelius, Log. & Metaph. Prof. Ord. in Lectionibus publicis, ab initio compendium ſuum Logicum exponere incipiet. Privatim Collegia Metaphyſ. & Logic. continuabit, cum Metaphyſico publico Aphoriſtico.

M. Johannes Conradus Dietericus, Græcæ Linguæ & Hiſtoriarum Profeſſor, p. t. Rector, in Hiſtoriis Aurelii Victoris elegans & ſucci plenum de *Viris illuſtribus* ſcriptum explicabit; & in literaturâ græcâ [illegible] ex præcipuis linguæ iſtius Autoribus præcipua ſeliget.

Jacobus Le-Bleu, U. J. D. & Civilis Prudentiæ Profeſſor Ordinarius, publicè nobiliores quæſtiones ex P. Peroti, Girol. Frachettâ & aliis recentioribus autoribus, depromptas explicabit, & Collegia Politica tum lectoria, tum diſputatoria pro nutu Dnn. Studioſorum aperiet.

David Chriſtiani, S S. Th. D. & Mathemat. P. Ord. publicè *Geographiam* prælegeſt, & uſum *Tabularum Geographicarum* monſtrabit. Privatim *Collegia Arithmetica, Geometrica, Aſtronomica, Geographica, Aſtrologica* & inſtituet, & in omnibus ſeſe Auditorum captui accommodabit.

Martinus Müller, U. J. D. ut Philoſophiæ Moralis Profeſſor Ordinarius, publicè præcepta Ethica tradet, privatim Collegium aperiet Ethico-Legale diſputatorium.

Joh. Tackius, Phil. & Med. D. hujus & Eloquentiæ Prof. Ordinarius Publicus, in tradendis publicè cœptis eloquentiæ præceptis methodo perſpicuâ & facili perget, & privatim Collegium Curtianum ad auditorum placitum continuabit.

Georg-Balthaſar Metzger, D. & Phyſicæ Profeſſor Ordinarius, in publicis prælectionibus inſiſtet methodo hactenus tritæ circa explicationem quæſtionum illuſtriorum, inter Veteres & modernos Phyſicos controverſarum. Privatim v. Collegia ad guſtum & votum Dnn. Studioſorum aperiet.

M. Johannes Weiß, Eth. P. P. Extr. cùm, quæ reſtant, Ethices præcepta explicatione abſolverit, canones in eâdem diſciplinâ publicè prælecturus, privatim cùm lectoria tùm diſputatoria pro lubitu Dnn. Studioſorum collegia Ethica aperiet.

S(†)S

GISSÆ, Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Academiæ Typographi Ordinarii. Anno M. DC. LVI.